# DE PILATO
# CHRISTI JUDICE

DISSERTATIO

*MICHAELIS LEGGII*

IN REGIO ARCHIGYMNASIO
NEAPOLITANO

*PUBLICORUM JUDICIORUM
ANTECESSORIS.*





NEAPOLI MDCCLXXIX.

TYPIS URSINIANIS.

*SUPERIORUM FACULTATE.*

*VIRO ILLVSTRISSIMO*


# D. MATTHÆO JANVARIO

TESTÆ-PICCOLOMINI

REGIO SACRORVM PRÆSVLI

REG. ARCHIGYMNASIO NEAPOLITANO PRÆFECTO.

*MICHAEL LEGGIVS*



*Pusculum hoc meum, PRAESVL ILLVSTRISSIME, qualecumque sit, Tibi inscribo. Nam, quum ejus argumen-*

*mentum ſit publica vis a Procuratore Caeſaris illata* JESU-CHRISTO *ſummo Sacerdoti, quumque id ſcripſerim, publice in Regio Archigymnaſio meis auditoribus dictaturus, non meliorem ſibi poterat patronum conquirere, quam* TE, *qui & eidem Archigymnaſio praees, & in Regno omnes non tantum ſecundos, ſed & primos Sacerdotes honore, & dignitate antecellis; namque unus es, quem* OPTIMUS REX NOSTER *conſulit in eccleſiaſticis negotiis abſolvendis. Accipe, quaeſo, quod Tibi omni jure debetur, quodque Tibi inſcriptum volui in ſolam obſervantiae animi erga Te mei ſignificationem. Bene vale.*

LE-

# LECTORI
## MICHAEL LEGGIVS
## S.



*Issertatio de Pilato Christi Judice diu promissa nunc primum absoluta in lucem prodit. Ea tota est in enarrando publicorum judiciorum ordine, & in exponenda exercitione quaestionis majestatis de Christo habitae. In utraque re testes laudo, prout occasio exposcit, latinos Scriptores Augusto atque Tiberio aequales, sub quo fuit Christus supplicio adfectus: laudo etiam fragmenta Jurisconsultorum, quae nobis exhibent Pandectæ. Scio Jurisconsultos istos longe post Tiberium floruisse, ac proinde non esse testes idoneos; sed quum in Pandectis, uti cuique legenti patebit, vetus & novum*

*jus*

*jus continetur, quumque Jurisconsulti novum jus pertractantes ejus expresse meminerint, existimavi laudare ea fragmenta, quibus, quum nulla mentio fiat juris recenter conditi ab aetate Tiberii, vetus jus tradi non ambigitur. Hoc volebam nescius ne esses. Vale.*

RE-

*Reverendissimus Dominus P. D. Salvator Spinelli S. Th. Professor revideat, & in scriptis referat. Die 1. Junii 1778.*

J. J. EP. TROJAN. V. G.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

## EXCELL. DOM.

EXcellentiae Tuae jussis, ut par est, morem gerens, lubens legi librum, cui titulus *De Pilato Christi Judice*, & de illius quidem Auctoris ingenio, & eruditione quamvis luculenter doceant Adnotationes ad Antonium Matthaeum, praelectiones, quas habet quotidie in Neapolitana Academia, aliaque, quoad sciam, monumenta; attamen dicere non dubitarim palmam caeteris praeripere opusculum isthoc, in quo se vere Romanum Jurisconsultum fatetur, & legum theoriae quonam modo servari debuissent in praxi egregie commonstrat; Dum enim inique gesta per Pilatum in Christi morte recenset, accersita Romanae, & Hebraicae Historiae face, diserte ostendit in quas peculiares leges commiserit impius Judex, eumque Juris universi violatorem evincit. Nullam Auctor infert Religioni, morumque probitati labem, quin Religionem ipsam cum Critica, & doctrina copularit. Dignum propterea opus arbitror, quod in lucem prodeat, ni secus censuerit Excell. Tua, cui me profiteor addictissimum. Datum Neap. Ex aedibus SS. Severini, & Sossii postridie Idus Julii anni 1778.

EXC. TUAE

*Obsequentiss. atque Addictiss. Famulus*
P. Salvator Spinelli Reg. Prof.

*Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur. Datum die 8. Septembris 1778.*

J. J. EP. TROJAN. V. G.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

*Adm.*

*Adm. Rev. D. Nicolaus Ignarra in hac Regia Studiorum Universitate Professor revideat autographum enunciati Operis, cui se subscribat, ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent, ad formam Regalium Ordinum, & in scriptis referat. Dat. Neap. die 25. mensis Maji 1776.*

MATTHÆUS JAN. ARCHIEP. CARTH. C. M.

# S. R. M.

SUprascriptum Opusculum a Cl. Collega meo docte accurateque elucubratum, cum nihil habeat, quod Regiis Juribus adversetur, typis edi posse censeo. Neap. VIII. Kal. Octob. 1777.

*Nicolaus Ignarra.*

*Die 24. mensis Novembris 1777. Neapoli.*

*VIso Rescripto Suae Regalis Majestatis sub die 22. currentis mensis, & anni, ac relatione Reverendi D. Nicolai Ignarra de commissione Reverendi Regii Cappellani Majoris, ordine praefatae Regalis Majestatis.*

*Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma praesentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Reverendi Revisoris; Verum non publicetur nisi per ipsum Revisorem facta iterum revisione affirmetur, quod concordat servata forma Regalium Ordinum, ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica: hoc suum.*

SALOMONIUS. PATRITIUS.

Vidit Fiscus S. R. C.

Illustris Marchio Citus Praeses S. R. C. & ceteri Spectabiles Aularum Praefecti tempore subscriptionis impediti.

*Reg.*

Carulli.

Athanasius.

INter exempla immanitatis, et injustitiae, quae historiae proferunt, nullum occurrit tam memorandum, quam illud quod est proditum ab Evangelistis de humani generis Salvatore JESU CHRISTO, qui, et si nec in religionem, nec in rempublicam aliquo modo peccasset, fuit tamen publicis injuriis adfectus, ac favore turbulenti populi ab iniquo judice Pilato durissime tormentis cruciatus, et tanquam adfectati regni, seditionisque reus infami cruci suffixus. Hanc sacrae historiae partem, quae a doctissimis Interpretibus, et philologicis notis, et perpetuis commentariis est satis superque exornata, pro viribus illustraturus, id praecipue agam, ut quaestio Majestatis, quam Pilatus de Christo habuit, quamque ex Romanis Legibus, et secundum ordinem publicorum judiciorum exerceri oportuit, pro dignitate enarretur.

Operis initium sumi oporteret ab ea historiae parte, qua coepit Pilatus esse Christi judex; sed postulat res, ut aliquid praedicam, licet persusorie, ne in legum Hebraeorum scopulum offendam, de Sacerdotum, et procerum gentis judaicae consilio Christum, ut

violatorem religionis, interficiendi. Impiis et scelestis illis hominibus suum consilium quoquo modo exequi intentis adest ipsius Christi discipulus, ac proditor Judas pollicens magistrum tradere, et ut promissa servaret, venit illuc, quo Christus convenire solebat, secum ducens et ministros, quos acceperat a Judaico Senatu, et cohortem. Scio cohortes partes fuisse romanarum legionum, quas Magistratus in provinciis habebant, vel ut compescerent provinciales, vel ut occurrerent hostibus: scio etiam potuisse Judam praesto habere cohortem, quoniam haec ad sedandos tumultus, qui forte concitarentur a multitudine undique conveniente ad festum Paschatis, quod tunc Hierosolymis celebrabatur, erat per porticus disposita; Sed non video qui potuerit cohors Judae voluntati obsequi non jubente Pilato. Pilatum jussisse petente Juda opinatur Goesius (1). At quoniam vix credere possum Magistratum romanum arbitrio privati hominis concessisse cohortem, potius inclinarem in sententiam Merillii (2) existimantis Judaicum Senatum per suos Ministros retulisse Pilato, Christum seditiosum esse,

(1) *In Pilat. Judic.*
(2) *In Not. ad Joan. Cap. XVIII. v. 3.*

esse, ac proinde per eosdem ad eum comprehendendum petiisse cohortem. Verum ab hac sententia libenter discedo ea ratione, quod si de crimine seditionis ageretur, in quo nullae erant Judaici Senatus partes, Christus sane sine opera, et sine ministris illius Senatus, jussu solius Pilati, et a sola cohorte comprehensus fuisset, ac ductus ad ejus Praetorium, non vero ad Caipham Pontificem. Facit haec ratio, ut credam Judaicum Senatum, cui jus erat damnare religionis violatores, petiisse a Pilato cohortem ad compescendum populum, ne auderet Christum novae religionis auctorem eripere e manibus suorum ministrorum, si eum forte comprehendissent. Comprehensus Christus, et in vincula conjectus, vel quod mos erat Judaeorum comprehensos reos vincire, vel quod Judas jam ante monuerat lictores, ut comprehensum Christum vincirent, ne inconspicuus quod saepius fecerat, elaberetur, statim ducitur ad Judaicum Senatum, qui pro Tribunali sedens coepit judicium exercere; sed nescio quale? Etenim non adhuc fuisse Christum aliquo crimine postulatum sat probat Judaici Senatus sollicitudo quaerendi testes crimen aliquod capitale objicientes: et quanquam inter multos ultro-

neos, ac discrepantes testes duo adfirmassent audivisse Christum dicentem se posse templum demoliri, dissolutumque triduo reficere, non potuit tamen Senatus Christum damnare, vel quod objectum crimen, utpote vera jactatio, capitale non erat, vel quod Christus, et si monitus a Pontifice illi testimonio non respondens, non poterat ex Judaica Lege damnari (1). Haec sane animo reputans Pontifex Maximus Senatus Praeses sperans ex ore ejus responsuri elicere aliquid quo damnare potuisset, non semel, sed iterum interrogat eum: et primum interrogat de doctrina, et discipulis suis; sed quoniam Christi responsio suam doctrinam posse facile percipi ex iis, qui se in templo, non autem in abdito loco docentem audierant, nihil poena dignum continebat, Pontifex eum iterum addita jurisjurandi religione interrogat, num filius Dei esset, et quum Christus responderit ipsissimum esse, habitus fuit pro blasphemo adeo insigni, ut idem Pontifex exclamans non amplius opus esse testibus proscideret sive jure, sive injuria,

(1). *Judaeorum Lex, uti scriptum est apud Joann. Cap. VII. v. 51.*, non judicabat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit quid faciat.

ria, ut doctiores disputant, vestimenta sua, et prolatam blasphemiam tanquam notorium crimen coram Judicibus admissum, magni faciens, conversus ad totum Senatum quasi singulos in consilium mittens interrogat quid videbatur? Interrogationi omnes respondent Christum esse morte dignum: et tunc Judaici ministri manu aperta, et alii contracta manu percutere, et inspuere coeperunt in faciem ejus quasi damnati. Haec omnia a Judaico Senatu noctu peraguntur, et peraguntur pridie Sabati, et eadem nocte, qua Christus comprehensus fuit, contra Judaicam Legem, quae capitalia judicia nec pridie Sabbati, nec noctu exerceri jubebat (1). Prolatam sententiam Senatus, qui multum in ea re metuebat a populo, non audens per se exequi, operae pretium duxit Christum a se damnatum ducere vinctum ad Pilatum, ut in eum lege ageret. Erat Pilatus

(1) *Lex ita scripta erat*: Judicia pecuniaria agitantur de die, et absolvuntur de nocte; Judicia capitalia agitantur de die, et absolvuntur de die. Judicia pecuniaria deciduntur eodem die in quamcumque partem; Judicia capitalia deciduntur eodem die si sententia absolutoria est; sed postridie, si condemnatoria. Quare non exercentur nec pridie Sabbati, nec Festi. *Codex Sanhedr. cap.* 4. §. 1.

tus Judaeae Procurator, ut eum appellat primum Luca Evangelista (1), et deinde Tacitus (2), qui de Christiani nominis auctore agens, sic habet, *Auctor ejus nominis Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus est*. At si Pilatum ponam Judaeae Procuratorem, non video cur potuerit de Christo supplicium sumere. Procuratores enim, qui plerumque vel equites, vel liberti, ab Augusto instituti, et in provincias missi ad colligenda tributa, et fiscalia jura tractanda, jurisdictionem non habuerunt usque ad tempora Claudii, sub quo, ut idem Tacitus (3) refert, ex Senatusconsulto juris dicundi potestatem obtinuerunt in solis caussis fiscalibus pecuniariis; nam in publicis judiciis non alias partes habebant, nisi damnatorum bona fisco vindicare. Faciunt haec omnia ut Evangelistae Matthaeo adsentiar qui Pilatum Praesidem dicit. Verum mihi persuadere non possum in re tanti momenti et Lucam, et maxime Tacitum, cui magistratuum romanorum munus erat satis perspectum, aber-

(1) *Cap. III. v. 1.*
(2) *Lib. XV. Ann. cap. 44.*
(3) *Lib. XII. Annal. cap. 60.*

aberrasse. Sed et eos non aberrasse; imo belle cum Matthaeo convenire satis constat, si animo reputemus romanarum provinciarum rationem, quae huc redit. Provinciae vel erant majores, vel minores, inter quas est sane recensenda Judaea, quae parva erat Syriae regio (1). Majoribus ad quietem procurandam sive Proconsules, sive Praesides, et ad fisci jura tuenda praeerant Procuratores: Minores vero solis Procuratoribus cohibebantur (2), qui quoniam utrumque munus gerebant dicti fuerunt Procuratores vice Praesidum, uti dicuntur in Libris juris (3), vel ut habent veteres Tituli apud Salmasium (4), *Procurator et Praeses Al-*

(1) Judaea regio Syriae meridionalior, parva, sed nobilissima, quae antiquissimis temporibus dicta fuit Terra Chanaan, postea Terra promissionis, & Palestina. Tempore Romanorum dicta fuit Judaea, quae Christi aetate divisa fuit in partes sex, in Galilaeam, Samariam, & Judeam proprie dictam, quae cis Jordanum fluvium, & ad Mare Mediterraneum, & in Thraconitidem, Ituream sive Peream, & Idumaeam. *Ita Ferrarius in Lexic. Geograph. I. Judaea*.

(2) Duae Mauritaniae, Rhaetia, Noricum, Thracia, et quae aliae Procuratoribus cohibebantur. *Tacit. Lib. I. histor. Cap. II.*

(3) *Vid. LL. in Tit. C. Ubi causs. fiscal.*

(4) *Ad Spartian. in Hadr. cap. 12.*

*Alpium*: *Procurator et Praeſes Sardiniae*. Quod deſcripti Tituli praeponunt Procuratorem Praeſidi, et Imperatorum reſcripta in libris Juris congeſta minorum provinciarum Magiſtratus appellant Procuratores vice Praeſidum, non abs re erit dicere Procuratoribus acceſſiſſe munus Praeſidum, non autem his fiſcalium rerum adminiſtrationem. Quum igitur minoribus provinciis praeeſſent Magiſtratus duplici munere, et titulo honorati, jam patet Pilatum, qui non alio titulo niſi Procuratoris, et Praeſidis imperitavit Judaeae, recte a Matthaeo ab adjuncto munere Praeſidem, et magis proprie a Luca, et Tacito à priſtina, et praecipua dignitate Procuratorem dictum.

Ad Pilatum igitur Judaicus Senatus Chriſtum tanquam damnatum reum duxit vinctum; ſed ne pollueretur non auſus fuit Praetorium ingredi (1), et ex Praetorio ei ob-

viam

(1) *Quod initio Magiſtratus, qui exercitui praeerant, dicebantur Praetores, hinc factum, ut eorum caſtrenſe tabernaculum Praetorium diceretur; ſed poſtea Praetorii nomine deſignabantur aedes deſtinatae habitationi Praeſidum in provinciis; aeedemque aedes ſi amplae fuiſſent, aula dicebantur, & ſane eo nomine indigitatur a Marco cap. 15. v. 16. Praetorium Pilati, quod erat adeo amplum, ut univerſa cohors ibi conveneri ad Chriſtum flagellis adficiendum.*

viam procedenti Pilato, ac quaerenti quodnam esset crimen, cujus insimularetur ille vinctus, satius duxit nullo objecto crimine respondere malefactorem esse. Responsio quidem illegitima, quoniam ex Legibus romanis opus erat accusatori exprimere Legem, in quam reus commisisse videbatur (1): quod quum scisset Pilatus sapienter reposuit posse Judaicum Senatum judicare eum secundum patrias leges, quas, modo ad religionem pertinerent, Romani usque a Julio Caesare Judaeis incolumes servarunt (2). At Senatus, quum non posset suis legibus uti, quod valde timebat, ne Christus favore populi, quo pollebat, solutus, et liber abiret, conceptum metum obtendens sub colore sibi non licere aliquem interficere, instanter flagitavit, ut Christus jam damnatus e vivis tolleretur. Sed quum nihil a Pilato impetrare potuisset, in ea caussa fuit, ut ex Legibus publicorum judiciorum nomen ejus deferret, dicens Christum esse gentis perverso-



(1) Apud Considium Quaestorem Lege Plautia de vi accusarat subscriptione ea, quod loca occupasset, et cum telo fuisset antesignanus operum Milonis. *Ascon. in Milon.*

(2) *Joseph. Antiquit. Judaic. Lib.* 14. *cap.* 17.

forem, prohibere Caesari tributa solvi, ac jactare se Regem esse. Accusatores isti, quod Christum, ut bene noverat Pilatus, per invidiam tradidissent, erant, teste Paulo (1), propter calumniae suspicionem omnino repellendi, vel saltem judicio divinationis erat ex illis unus eligendus qui accusationem perageret. *Si plures existunt*, inquit Ulpianus (2), *qui in publicis judiciis accusare volunt, Judex eligere debet eum qui accusat, caussa scilicet cognita, aestimatis accusatorum personis, vel de dignitate, vel ex eo quod interest, vel aetate, vel alia justa de caussa.* Jure igitur inter tot accusatores erat eligendus Caiphas ceteris aliis, quod Pontificatum Maximum gerebat, dignior. Electo accusatore, erat ex more dicendus a Pilato dies, quo in jus venirent Caiphas (3), et Christus (4), atque eo die utrisque in jus venientibus, Caiphas adactus prius jurejurando calu-

(1) *L. 9. de accusat.*
(2) *L. 16. eod.*
(3) Et quum L. Cassius Praetor, decimo die, uti mos est, adesse jussisset accusatores. *Ascon. in Cornelian.*
[4] Sthenii nomine delato Verrem edixisse, ut Kalend. Decembr. Sthenius adesset Syracusis. *Cic. Lib. II. in Verr. cap.* 38.

calumniam omnino abesse (1), et deinde Christum ei dicentem, *Quid ais, ecce sisto me* (2), Lege interrogare debebat (3) ea formula *Tibi perduellionem judico* (4). Proposita ad hunc modum accusatione, intererat videre, num Christus adfirmaret, vel taceret, an negaret; nam adfirmantem, vel tacentem pro victo haberi in dubium non venit: quod si negasset, tunc accusator (5) libellum dare cogebatur suo nomine subscriptum, quo calumniatorum poenae obstringeretur (6); et for-



[1] Si velut accusatores calumniam in eum jurarent, nomenque deferrent. *Liv. Lib. XLIV.*

[2] *Sigon. de Judic. cap.* 10.

[3] Et ipse Lege Plautia interrogatus erat a L. Paulo. *Sallust. in bell. Catilinar. cap.* 18.

(4) *Qui atrocissimum crimen majestatis deferebant perduellionem judicare dicebantur*. Rutilium Tribunum plebis, *inquit Livius Libro XLIII. cap. 16.*, se perduellionem judicare dixisse, diemque Comitiis a Praetore Urbano petiisse.

[5] Quum in jus ventum esset, dicebat accusator ad Praetorem reo: Ajo te Siculos spoliasse: si tacuisset, lis ei aestimabatur ut victo; si negasset, petebatur a Magistratu dies inquirendorum ejus criminum, et instituebatur accusatio. *Ascon. in divinat.*

[6] Si cui crimen objiciatur, *verba sunt Ulpiani L. 7. pr. de accusat.*, praecedere debet in crimen subscriptio: quae res ad id inventa est, ne facile quis prosiliat ad accusationem, quum sciat inultam sibi accusationem non futuram.

formam libelli talem esse oportebat, *Apud Pilatum provinciae Procuratorem Christo perduellionem judico, quod Judaicam gentem pervertit, quod Caesari tributa solvi prohibuit, et quod se Regem fecit in Judaea mense illo, Consulibus illis* (1). Ita delato Christi nomine, quoniam erat in potestate Pilati illud non recipere, poterat accusator postulare ut reciperetur (2): eoque recepto, erat a Pilato constituendus dies vel decimus, vel tricesimus (3), quo Caiphas, et Christus judicio adessent, et ex eo die Christo, qui esse in reatu incipiebat, sumta sordida ac obsoleta veste (4) licebat sibi patronos conqui-
re-

[1] Libellorum inscriptionis, *inquit Paulus L. 3. pr. de accusat.*, conceptio talis est: Consul, et dies, apud illum Praetorem, vel Proconsulem Lucius Titius professus est, se Maeviam Lege Julia de adulteriis ream deferre, quod dicat eam cum Gajo Sejo in civitate illa, domo illius, mense illo, Consulibus illis, adulterium commisisse.

(2) Postulat nomen recipi, edit subscriptionem occisos Senatores triginta. *Senec. in lud.*

[3] Quaero de te, postulatus ne sis Lege Licinia Junia? Edixerit ne G. Memmius Praetor ex ea Lege, ut adesses die trigesimo. *Cicer. in Vatin.* Detulit nomen Publius, subscripsit Gajus, et quum L. Cassius Praetor decimo die, ut mos est, adesse jussisset. *Ascon. in Cornelian.*

(4) Venit postridie in Forum obsoleta veste. *Liv. L. IV. c. 10.*

rere, et Custodes Caiphae adponere observaturos, num ille jure, an dolo malo, et per sordes accusationem instrueret (1). Veniente die, quum molestus accusator Caiphas praesens esset, Christum voce praeconis citari oportebat, ut et ipse adesset (2); ac utrisque praesentibus objecta crimina erant probanda testimoniis, et legitimo quidem ordine. Primum enim Caiphas, postulare debebat, ut de servis ejus quaestio haberetur (3). At quorum servorum quaestio, si Christus nullos habebat? igitur Caiphae duo tantum testimoniorum genera supererant, testes scilicet, et ta-

(1) A die autem delationis usque in summum diem, quo caussa dicenda erat, poterat reus ex Lege adponere Custodem accusatori, qui observaret quae agerentur ab actore, et quomodo accusationem instrueret, ne quid dolo, aut alia via scelerata moliretur ( auctor Plutarchus in Catone Uticensi ) ut vix quidquam liceret meditari ad accusationem, nisi praesente Custode. *Poller. Histor. For. rom. Lib. IV. cap. 7.*

[2] Quem is, uti Panormum venit, ad se vocari, et de Tribunali citari jussit. *Cicer. Lib. V. in Verr. cap. 7.*

[3] Nostri majores quum de servis in dominos quaeri noluissent, de incestu tamen, et conjuratione, quae facta me Consule est, quaerendum putarunt. *Cicer. in Partit.*

tabulae: et quantum ad testes, quoniam de crimine majestatis agebatur, eos voluntarios fuisse non patiebatur Lex Julia publicorum judiciorum, ut Paulus tradit (1); sed evocari necesse erat (2), modo idonei fuissent (3): evocatos testes in jus venientes, et in propriis subselliis constitutos (4), post delatum eis jusjurandum (5), palam et praesente Christo non

[1] *L. 4. de testib.*

(2) Quum scorta meritoria citari adversus se, et audiri pro testimonio videret. *Sueton. in Claud. cap.* 15.

[3] Testium fides diligenter examinanda est, ideoque in persona eorum exploranda erunt, in primis conditio cujusque: utrum quis decurio, an plebejus sit; et an honestae inculpatae vitae; an vero notatus quis et reprehensibilis; an locuples, vel egens sit, ut lucri caussa quid facile admittat; vel an inimicus ei sit pro quo testimonium dat: nam si careat suspicione testimonium vel propter personam a qua fertur, quod honesta sit, vel propter caussam, quod neque lucri, neque gratiae, neque inimicitiae caussa sit, admittendus est. *Callistrat. L. 1. pr. de test.*

(4) Et ne forte me frustra hoc pollicitum esse praedices, te te, inquam, Fanni, a tuis subselliis te testem suscitabo. *Cicer. pro Rosc. cap.* 13.

[5] Q. Mutius juratus dicit pecuniam datam: juratus dicit, Timarchidem dixisse majorem ab accusatoribus pecuniam dari. *Cicer. Lib. II. in Verr. cap.* 33.

non solum interrogari singulos a Caipha (1) oportebat ea formula, *Quaero ex te, arbitreris ne Christum Judaicum populum pervertisse, Caesari tributa solvi vetasse, seque Regem Judaeae fecisse* (2); sed et singulos respondere solemni verbo *Arbitror* (3) necesse erat. Quanquam haec omnia olim expedirentur cognitionis die, tamen ex Lege Pompeja, quae jam obtinebat Christi aetate, testes erant per triduum audiendi, eorumque dicta

[1] Tenere debemus interrogationes testium et accusatoris, et defensoris fuisse, et ejus qui produxit, et ejus contra quem producitur. *Ascon. Hac Asconii auctoritate forte ductus Polletus Histor. For. rom. Lib. IV cap. 13. tradit* opus altercationis in interrogandis testibus totum consumitur, id quod olim fiebat a partibus ipsis; nam & accusator suos ipse testes, & patronos item suos vicissimque alter alterius interrogabat: *quod sane fieri non poterat, nisi praesentem reum, ejusque patronum ponamus vide Plinium epistol. Lib. 3. epist. 9.*

(2) Sexte Tempani quaero, arbitreris ne, G. Sempronium Cos. aut in tempore pugnam inisse, aut firmasse subsidiis aciem. *Liv. Lib. IV. cap.* 40.

[3] Primum illud verbum consideratissimum nostrae consuetudinis, *Arbitror*, quo nos etiam tunc utimur, quum ea dicimus jurati. *Cicer. pro Font.*

dicta a Pilato consignanda. Porro Caiphas ad confirmanda objecta crimina poterat ad Pilatum deferre tabulas conquisitas et obsignatas, ne corrumperentur, ac praecipue illas, quae Christum Regem Judaeae ostendebant, quales erant, veluti leges ab illo latae in Judaea, codicilli, quibus creabantur magistratus, nummi ejus effigie percussi. Probatis criminibus in hunc modum, quarto die a Pilato cum testibus, tum Caipha, et Christo omnibus adesse jussis, erat caussa agenda (1), datis certis definitisque horis Caiphae ad accusandum, et Christo ad suam innocentiam purgandam (2). Ita quidem erat in judicio proce-

---

[1] Apud Domitium Quaesitorem de vi Appius accusator postulavit a Milone servos exhiberi numero quatuor et quinquaginta, et quum ille negaret, eos, qui nominabantur, in sua potestate esse, Domitius ex sententia Judicum pronunciavit, ut ex servorum eorum numero accusator, quot vellet, ederet: citati deinde testes secundum Legem *Pompejam*, quae jubebat, ut prius quam caussa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum Judices consignarent, quarta die adesse omnes in posterum juberentur. *Ascon. in Milonian.*

(2) Observavi, *inquit Polletus Lib. I. Cap. II.*, ita comparatas fuisse Leges temporum praestitutorum, ut

cedendum. Sed Pilatus solemnem judiciorum ordinem insuper habens, nullis auditis testibus, nullisque testimoniis perpensis, et sola delatione innixus Praetorium ingreditur, ac Christum quasi reum legitime accusatum, et convictum ad se accitum interrogat, num *esset Rex Judaeorum*, et num *aliquid fecisset*. Utraque interrogatio fuisset quidem legitima, si de criminibus legitime constitisset: et sane fuisse reos de objectis criminibus interrogatos demonstrant quamplurima exempla relata a latinis Scriptoribus (1): et fuisse interrogatos ea formula *Quid fecisti*, satis probat Julianus Jurisconsultus, qui solemnem interrogationis formulam sic proponit, ***Eorum quid, quae objiciuntur tibi, fecisti*** (2). Interroga-



ut reus sesquialteras haberet horas ad accusatorem, ut si accusatori sex darentur, reo novem, ut caussa, quam egit Plinius. Item in caussa Milonis accusator duas, reus tres habuit.

(1) *Inter exempla illustre est illud, quod refert Svetonius de Augusto agens cap.* 33. *in haec verba*, Dixit jus, non diligentia modo summa, sed & lenitate, si quidem manifesti parricidii reum, ne culleo insueretur, quod non nisi confessi adficiebantur hac poena, ita interrogavit, CERTE PATREM TUUM NON OCCIDISTI.

(2) *L.* 13. §. 4. *de reb. dub.*

gatus Christus adfirmat se Regem esse; profitetur tamen regnum suum non esse ut caetera mundi regna, sed regnum veritatis. Quod quum intellexisset Pilatus, videns tale regnum simile esse ei quod Stoici sapienti tribuunt, nec quidquam Caesari officere, e Praetorio egreditur, et coram Judaico Senatu, qui ante Praetorium stabat, palam pronunciavit Christum quovis crimine vacuum. Perculsit sententia isthaec animum Senatus, quod videbat noxa solutum, quem omnino perditum cupiebat; Sed a proposito non desistens coepit iterum objecta crimina exprobrare, et maxime concitationem populi a Galilaea ad Judaeam usque. Ad haec Pilatus, cui jure datum erat reos, non innocentes interrogare, quasi nova, et non eadem crimina fuissent, et quasi Christum non manifestasset innoxium, eum interrogat cur non responderet testibus multa crimina adversus eum objicientibus. At quinam testes? et quaenam nova crimina? si illi accusatores, non testes, si eadem crimina erant. Faciunt haec ut non videam qui potuerit Pilatus iterum interrogare, quem publice pronunciavit in nullam legem commisisse. Sed Christus interrogatis, quae facile poterat diluere, maxime quod de illis pro se jam erat

pro-

pronunciatum, penitus non respondens, tertium a Pilato, qui audierat eum a Galilaea exorsum, interrogatur de ejus origine, et quum Galilaeus esset, remittitur ad Herodem Galilaeae Tetrarcham, qui tunc erat Hierosolymis ob festum Paschatis. Fecisse hoc Pilatum quidam ajunt ut se se illo periculoso negotio extricaret: quidam vero ut gratiam apud illum iniret. Quamquam Pilatus ex hoc redierit cum Herode in gratiam, non possum tamen eum excusare, quoniam ex Legibus romanis reus est cognoscendus a Praeside ejus provinciae in qua peccavit: *Non est dubium*, inquit Celsus (1), *quin cujuscumque est provinciae homo, qui ex custodia producitur, cognoscere debeat is, qui ei provinciae praeest, in qua provincia agitur*. Sunt qui in hac re Pilati caussam suscipiunt, eumque tuentur ea ratione quod solebant Praesides remittere cum elogio reum ad Praesidem provinciae, unde is erat, ut satis innuunt ejusdem Celsi verba, quae sequuntur, *Illud a quibusdam observari solet, ut quum cognovit, et constituit, remittat illum cum elogio ad eum qui provinciae praeest, unde is homo est, quod ex caussa faciendum est*.

C 2 Sed

(1) *L.* 11. *de custod. reor.*

Sed iſtis Pilati defenſoribus ſubſcribere recuſo, quod is Chriſtum ad Herodem non remiſit cum elogio poſtquam cognoverit, et ſententiam dixerit, nec remiſit ex cauſsa, uti expoſtulabat ratio illius ſpecialis conſuetudinis, quam meminit Celſus, quamque inter ſe quidam Praeſides in Romanis provinciis, non autem cum exterarum provinciarum Rectoribus, qualis erat Herodes, ſervabant. Ex ſententia Pilati, qualis qualis ea ſit, Chriſtus ducitur ad Herodem, qui quum intelligeret Chriſtum non eſse in ea cauſsa ut poſset regnum adfectare, licet de ea re conſtanter a Senatu Judaico accuſaretur, eum iterum ad Pilatum quaſi Candidatum Imperii remiſit per ludibrium veſte alba indutum (1). Quum Pilatus praeter ſuam expectationem viderit ſe denuo conſtitutum Judicem in cauſsa Chriſti non audens innocentem damnare, ad totum populum Judaicum,

(1) *Erat color albus Regum inſigne; hinc Pompejo candidam faſciam in ſuſpicionem imperii objectam fuiſſe legimus apud Valerium Maximum VI.* 2. 7. Cui candida faſcia crus adligatum habenti, Favonius, non refert, inquit, qua in parte corporis ſit diadema: exigui panni cavillatione regias ejus vires exprobrans.

cum, quem convocaverat, ita concionatur: *Obtulistis mihi hominem istum, tanquam avertentem populum: et ecce ego coram vobis interrogans nullam caussam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis; sed neque Herodes, nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei; emendatum ergo illum dimittam* (1). Sperabat Pilatus ex hac concione Judaeos a calumnia desistere, contentosque esse Christum castigatum dimitti; sed eum spes fefellit; nam Judeos, apud quos erat consuetudine inductum (2) in Paschate ex vinculis solvere reum, quem optabant, interrogans num Christum, an alium facinorosum hominem, cujus nomen erat Barabbas, solutum vellent, conclamantes hunc sibi dimitti, illum vero omnino perdendum responderunt. Displicuit responsio isthaec Pilato, qui volens Christum dimittere et iterum, et tertium populum Judaicum alloquitur promens semper Christi inno-

(1) *Luca Cap. XIII v. 14.*

(2) *Illius consuetudinis originem alii ab Hebraeis, a Romanis alii repetunt. Mihi placet in priorem sententiam inclinare, ob illa Pilati Hebreos adloquentis verba a Joanne Cap. XVIII. v. 39. relata.* Est autem VOBIS consuetudo.

innocentiam, nunc illa formula, *Nullum crimen in eo inveni*, nunc illa, *Quid mali fecit*. Sed populus Judaicus, qui bene noverat sanctos Christi mores, quique poterat deponere eum calumniose insectari, Pilati dictis non adquiescens; imo magis animo exasperatus obnixe petebat eum in crucem tolli. Ad sedandum concitatum populum satius duxit Pilatus servata Judaica consuetudine Barabbam dimittere, et Christum flagellis tradere. At quo juris principio id fecit Pilatus plane ignoro. Quidam ajunt Pilatum daturum Christum morti prius flagellis caedi jussisse romano more, quo flagellatio supplicium crucis, ut fida comes praeiret (1): idque innuere videtur Matthaeus illis verbis (2), *Jesum autem flagellatum tradidit, ut crucifigeretur*. Sed huic sententiae adhaerere non placet; nam si Pilatus flagellis tradidisset Christum crucifigendum, in eum utique pro tribunali sedens sententiam tulisset: qua lata non amplius opus erat nec Judaeis eadem et nova crimina, veluti Christum se dixisse filium Dei, ac Caesari

(1) Omnes verberibus adfectos sub ipsis radicibus petrae, crucibus jussit affigi. *Curt. VII. II. 28.*
(2) *Cap. XXVII. v. 26.*

*Caesari contradicere* magnis animis promere; nec Pilato prius quaerere modum dimittendi Christum, et deinde eum pro tribunali damnare; quum satis compertum sit in jure (1) non posse Magistratum sententiam revocare, nec damnato poenae gratiam facere. Quidam Lucam (2) sequentes docent Pilatum flagellis verberasse Christum, ut castigatum dimitteret. Quamquam hanc fuisse mentem Pilati aperte ex eo pateat quod flagellationem de plano irrogavit, tamen non video qua ratione potuit induci ad castigandum quem saepius innocentem pronunciavit. Num castigavit, ut populo satisfaceret? Id quidem in mentem venit Merillio (3). Sed si hic meminisset, quod Ulpianus tradit (4), *Non oportere aliquem opprimi per adversarii sui potentiam*, utique in ea non fuisset opinione. Num, quod propter eum tot turbae fuerint in Hierosolymis excitatae? Hoc mihi verosimilius videtur: innixus forte Pilatus consuetudini, qua turbulenti juvenes, nihil aliud admittentes fustibus castigari solebant, ut

(1) *L. 1. §. 27. de quaest.*
(2) *Cap. XXIII. v. 16.*
(3) *In Not. philolog. ad Joan. cap. XIX.*
(4) *L. 9. §. 5. de offic. Procos.*

ut tradit Calliſtratus (1) in haec verba, *Solent quidam, qui vulgo ſe juvenes appellant in quibuſdam civitatibus turbulentibus ſe adclamationibus popularium adcommodare, qui ſi amplius nihil admiſerint, nec ante ſint a Praeſide admoniti, fuſtibus caeſi dimittuntur.* At ſi Pilatus voluiſſet illa conſuetudine uti, oportebat fuſtes adhibere in Chriſtum liberum ſane hominem, non autem flagella, quae erant ſervilia verbera, ut docet Macer (2): *In ſervorum perſona*, inquit Juriſconſultus, *ita obſervatur, ut exemplo humiliorum puniantur, et ex quibus cauſſis liber fuſtibus caeditur, ex his ſervus flagellis caedi, et domino reddi jubetur.* Pilato igitur obtemperantes milites, ſive ſpeculatores, qui non aliud exercebant munus, niſi de damnatis ſupplicia ſumere (3), Chriſtum in Praetorium

(1) *L.* 28. §. 3. *de poen.*
(2) *L.* 10. *pr. de poen.*
(3) *Speculatores erant milites ad hoc praecipue inſtituti, ut ſilentio hoſtilia perſpicerent, et in damnatos lege agerent: Sane Herodes, ut divus Marcus teſtatur Cap. III., v. 27., Speculatorem miſit, qui decollaret Joannem in carcere; et Servilius Otho, ut refert Svetonius in Galb. Cap. V., Galbae necem quinque ſpeculatoribus commiſit.*

rium ducunt, ibique veſtibus exutum, ut illa ſolemnis formula monet, *Submove lictor, deſpolia* (1), ſub voce praeconis (2) univerſa cohorte circumſtante flagellarunt, et flagellarunt quidem columnae de more adligatum. Erat enim apud Romanos in more poſitum, ut rei, non in ipſa deductione ad ſupplicii locum, ſed vel domi, vel in Praetorio flagellis caedendi vincerentur plerumque columnae (3). Quaeri ſolere me non praeterit num omnes ſpeculatores de Chriſto ſupplicium ſumſerunt: quaeritur etiam de numero ictuum. Verum qui ſapiunt, fatentur virgatores de more octo fuiſſe (4); numerum autem ictuum incertum, quuum apud Romanos flagellatio pro qualitate admiſſi, et con-



---

(1) Senec. *Lib. V. Controv. cap.* 35.

(2) Sectus flagellis hic triumviralibus
Praeconis ad faſtidium. *Horat. Epod. IV. II. Ita ſervabatur Romae; ſed in provinciis ſtante pro Tribunali Praeſide, non autem in conſpectu Triumvirum in reos animadvertebatur. Vid. Fabr. Semeſtr. Lib. II. cap.* 10.

(3) *Vid. Pitiſc. Lexic.* v. *Flagellatio*.

(4) Ubi cauſſam ſaepe dixeris pendens adverſus octo
Aſtutos audaces viros valentes virgatores. *Plaut. in Aſinar. III.* 3. 19.

ditione personae irrogabatur. His peractis milites non jubente Pilato, et forte a Judaico Senatu pretio corrupti addendo immanitati ludibrium componunt Christum in formam Regis, eumque primum induunt, teste Matthaeo (1), chlamyde coccinea (2) uni ex iisdem militibus certe detracta, quam Marcus, et Joannes (3) a similitudine coloris absolute purpuram (4) dicunt; et deinde posita

(1) *Cap. XXVIII. v. 28.*

(2) *Erat chlamis vestis militaris*, quae una parte induitur, neque consuitur, sed fibula infrenatur. *Isidor. Orig. Lib. XIX. cap. 24. Fuisse chlamyde coccinea usos ipsos Imperatores, & praecipue Alexandrum Severum testatur Lampridius in ejus vita cap.40.*

(3) *Cap. XV. v. 20., et Cap. XIX. v. 2.*

(4) *Purpureus color differt quidem a coccineo; nam ille instar est nigricantis rosae; hic vero micantis rosae: hinc recte Ulpianus in L. 70. §.13. de legat.3. negat purpurae appellatione coccum contineri. Erat olim purpura matronarum habitus, ut ex Valerio Maximo Lib. II. cap. 1., & Servio III. Aeneid. constat. At postea teste Svetonio Julius Caesar usum purpurae*, nisi certis personis, & aetatibus, & per certos dies ademit. *Sed Nero prorsus sustulit, ut idem Svetonius refert. Neronis exemplum sequuti fuerunt caeteri deinceps Imperatores usque ad Aurelianum, qui iterum matronis purpuram permisit. Vid. Vopiscum in Aurel. cap. 46.*

fita in ejus dextera tanquam fceptro arundine, capiti coronam imponunt fpineam compactam ex rhamno in Hierofolymis obvio (1). Chrifto ita compofito milites impofitam coronam arundine plectentes, ac in ejus faciem fputa, et alapas (2) impingentes eum in genua provoluti falutabant illa formula *Ave Rex Judaeorum* (3). Haec omnia, quae erant feveriffime punienda in licentiofos milites reos quidem Legis Juliae de vi publica, tefte Ulpiano (4), qui inquit, *Hac Lege teneri*, *qui convocatis hominibus vim fe-*



(1) Inter genera ruborum rhamnos appellatur a Graecis, candidior, & fruticofior. Is floret ramos fpargens rectis aculeis, non, ut caeteri, aduncis, foliis majoribus. *Plin. Lib. XXIV. cap.* 14.

(2) Non contenta mulier tam gravi injuria mea, convocat omnes quafillarias, familiaeque fordidiffimam partem, ac me confpui jubet. Oppono ego manus oculis meis, nullifque precibus effufis, quia fciebam quid meruiffem, verberibus fputifque extra januam ejectus fum. *Petron. in Satyr. cap.* 92.

(3) *Romani falutabant Imperatores illa formula* Ave Caefar. *Ita Pfittacus apud Martialem Lib. IV.* Hoc didici per me dicere, Caefar ave. *Interdum addebant nomen Imperatoris; unde ille corvus apud Macrobium Saturn. Lib. II. cap. 4. ita Auguftum falutabat,* Ave Caefar, Victor, Imperator.

(4) *L.* 10. §. 1. *ad L. Jul. de vi publ.*

*fecerit quo quis verberetur, et pulsetur*, Pilatus negligens e Praetorio egreditur, et quasi redditurus populo Judaico rationem ejus quod debebat ex suo officio facere, secum ducit Christum eo modo, quo milites efformaverint, eumque primum, quod saepe alias fecerat palam profitetur innocentem, et deinde omnibus, quasi singulos admonens, indicat illis verbis, *Ecce homo*, idest ecce quem majestatis, seditionisque reum accusatis? Ecce in eam caussam radactum, a quo certe metuendum non est, ne quid de Romani imperii potestate decedat? At Senatus Judaicus ejusque ministri tali spectaculo, quod ferocissimos quidem ad misericordiam provocaret, nihil commoti, quanquam flagitarent, ut Christus cruci traderetur, non aliud tamen a Pilato impetrarunt, nisi responsum posse Judaicum Senatum per se crucifigere. Videns Senatus objecta crimina majestatis seditionisque nihil sibi profuisse, quo Christus damnaretur, alio confugit, et suam Legem expromens ajebat eum, quod se filium Dei fecit, omnino debere secundum Legem mori (1). Audiens haec Pilatus *magis timuit*. Timoris Pilati caussa duplex potuit esse; aut enim quod

(1) *Joann. Cap. XIX. v. 7.*

quod Christum, quem cupiebat propter ejus innocentiam dimittere, non damnando ex lege coram se recitata, timebat incidere in Legem Corneliam de falsis, ut Paulus docet his verbis (1), *Judex, qui contra sacras Principum constitutiones, contrave jus publicum, quod apud se recitatum est, pronunciat, in insulam deportatur*: aut quod imbutus opinione gentilium existimantium inter mortales convivere quosdam ex Diis genitos (2), verebatur ne damnando Christum, qui se filium Dei profitebatur, provocaret in se iram Deorum. Hanc fuisse caussam cur Pilatus timuit (sat probant ejusdem et cura Praetorium ingrediendi, et sollicitudo perscrutandi ejus genus illa interrogatione *Unde es*; et) quum Christus non responderit interrogatis, Pilatus ut ex ore ejus responsionem eliceret, quo posset conceptum metum amovere, non solum eum quasi magistratus contemtorem de silentio redarguit illis verbis *mihi non loqueris*; sed et suam minaciter objectat potestatem absolvendi, et crucifigendi (3). Hujusmodi minis non conterritus Chri-

(1) *Lib. V. Sent. Tit.* 25. §. 4.

(2) *Cicer. Lib. I. de Divinat. cap.* 1.

(3) Qui damnare potest, is absolvendi quoque potestatem habet. *Paul. L.* 3. *de re jud.*

Christus ut suum genus proderet, Pilato in haec verba respondit (1), *Non haberes potestatem ullam adversus me, nisi tibi datum esset desuper; propterea qui me tradidit tibi majus peccatum habet*. Responsio isthaec, quae divinum Christi genus quodammodo proferebat, adeo exagitatum Pilati animum perculsit, ut modum quaereret eum dimittendi. Dum Pilatus haec recogitat, Judaei ut eum a proposito averterent, desertam majestatis accusationem restaurantes, si illum dimitteret, non modo suo officio, sed et Caesaris amicitiae defuturum conclamarunt (2) Hisce Judaeorum conclamationibus non removetur quidem Pilatus a suo proposito; imo ut id facile adsequeretur, iterum Christum extra Praetorium ductum populo indicat illis verbis *Ecce Rex vester*, quasi diceret, ut opinatur Theophylactus (3), *Ecce qualem hominem dicitis attentasse invadere regnum, vilem scilicet, et nihil tale attentare audentem, et ita accusatio*

---

(1) *Joannes Cap. XIX. V. II*

(2) *Judei Pilatum Amicum Caesaris dixere de more Imperatorum, qui Magistratus solebant Amicos appellare, uti patet ex Leg. ult. de offic. praesid., & L. 4. C. de jur. & fact. ignor.*

(3) *In Comm. ad h. loc.*

*satio vestrà falsa est . . . quae utilitas si hunc occideritis hominem, qui ne in minimo quidam nocere poterit.* At Judaeos, qui Christi odio flagrantes instanter flagitabant, ut cruci suffigeretur, conatur Pilatus ad suam sententiam revocare, objectando eis, illa interrogatione *Regem vestrum crucifigam?* infamiam, quam certe subirent apud alias nationes, si eorum petitioni tribueretur (1). Pilati interrogationi Pontifices maximi, qui solebant dicere non habemus Regem nisi Deum (2), quo infamiae notam effugerent, quoque Christum perderent, constanter reponunt non alium Regem se habere nisi Caesarem. Videns Pilatus se non posse populum sedare, ejusque tumultum tunc temporis majorem fieri, etsi monitus per nuncium (3) missum ab

(1) *Vid. Goes. in Pilat. judic., et Byn. in Lib. III. de morte Jes. Chr. cap. 4. n. 47.*

(2) *Grot ad Joann. XIX. 15.*

(3) *Quum Matthaeus scribit cap. 27. n. 19.* Sedente autem eo in Tribunali, misit ad eum uxor ejus dicens, Nihil tibi cum Justo illo, *quidam putant Christi caussam fuisse cognitam in Tribunali extra Praetorium posito, nam si Tribunal in ipso Praetorio ponatur, inutile quidem fuisset uxori Pilati ei nuncium mittere, quum ipsa per se facile potuisset virum monere. At quoniam Pilati Praetorium amplum*

erat

ab uxore Claudia Procula (1) ne se amplius ingereret cum *Justo* illo tamen, ne coram Tiberio (2), sub quo vel minima quaedam in crimen majestatis veniebant, proditionis insimularetur, quod seditiosis turbulentisque hominibus faveret, non dubitavit, oblitus Legis (3), qua monebatur, non debere Praesidem quidquam honori postulantium tribuere, Judaeorum libidini indulgere, et postquam inter manus lotionem, quae erat sane symbolum animi sui sententiae recepti-

*erat, bene poterat Tribunal in aliqua parte Praetorii esse, & Pilatum nuncium accipere ab uxore in alia parte ejusdem Praetorii commorante. Accedit, quod Pilato Christi caussam cognoscenti uxor non poterat jure praesto esse, nec Tribunali accedere.*

(1) Proficisci autem Proconsulem, *inquit Ulpianus L.4. §. 2. de Offic. procos.*, melius quidem est sine uxore; sed et cum uxore potest, dummodo sciat Senatum, Cotta, et Mesalla Consulibus, censuisse futurum, ut si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio, et vindicta exigatur.

(2) *Sub Tiberio* addito majestatis crimine; quod tum omnium accusationum complementum erat. *Tacit. Lib. III. Ann. cap.* 38.

(3) *L. 9. §. 4. de offic. procos.*

ptissimum apud Judaeos (1), atque Romanos (2), luculentissimum praebuerit de Christi innocentia testimonium illis verbis, *Innocens ego sum a sanguine Justi hujus*, sedit pro tribunali (3), et non dato ei Advocato, quem vel non petenti dari oportebat, ut Ulpianus monet (4), talem sententiam dixit : *Videtur*



---

(1) *Scribit Vossius in Harm. Evangel. Lib. II. cap.* 5. Pilatum in hoc morem sequutum fuisse Judaeorum. Nam *Deteron. XXI. 6.* legere est, Judices reum condemnaturos abluisse manus ad testandam innocentiam.

(2) *De more Romanorum ita Virgilius Lib. II. Aeneid.*

Me bello e tanto digressum et caede recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

(3) *Sedere Judicem debere quum sententiam dicit satis testantur praeter alios Cicero pro Rabir. cap.*17., *& Plinius Epistol. Lib. IV. epist.* 33. : *& hinc est ut dies, quibus Praetor pro Tribunali sedens cognoscebat*, Sessiones *dicerentur*, *L.* 2. §. 1. *Quis ord. in possess. Ratio autem cur sedeant, Judices, ni fallor, redditur a Plauto in Mostellar., ubi Tranio servus in ara sedens quum sollicitaretur a Teuropida ut surgeret consilium daturus respondit*,

Sic tamen hinc consilium dedero,
Nimio plus sapio sedens.

(4) *d. L. 9.* §. 5.

(1) *Christum regnum adfectasse, atque eo nomine cruci suffigendum*. Fuit haec sententia adeo iniqua, ut nihil supra; nam si judiciorum ordinem spectes, quoniam libelli inscriptionum legitime ordinati non fuerant, Christi nomen, ut tradit Paulus (2), erat omnino abolendum. Sin vero spectes Christi personam omnibus indigentem, ac proinde nihil potuisse facere, nec aliquid fecisse, quo regnum adfectaret, erat quidem dimittendus ex sententia Pauli, et Modestini. Scribit Paulus (3), *In reum majestatis inquiri prius convenit, quibus opibus, qua factione, quibus auctoribus hoc fecerit; tanti enim criminis reus non obtentu adulationis alicujus, sed ipsius admissi caussa puniendus est*. Scribit Modestinus (4), *Hoc crimen majestatis a Judicibus non in occasionem ob Principalis Majestatis venerationem habendum est; sed in veritate, nam et persona spectanda est an potuerit facere, et an ante quid fecerit, et*

---

(1) Patravisse videri pronunciat Magistratus quum de consilii sententia aliquem capitis condemnaturus est. *Festus* . . . . .

(2) *L. 3. §. 1. de accusat.*

(3) *Lib. V. Sent. Tit. XXIX. §. 2.*

(4) *L. 7. §. 3. ad L. Jul. majest.*

*et an cogitaverit.* Denique si criminis poenam spectes, Christum invita omni jurisprudentia seditionis damnatum, non cruce, sed, ut testatur Paulus, deportatione, quae erat poena seditiosorum honestiorum, adfici oportebat a Pilato, qui dubitans de ejus divino genere certe sciebat plebejum non esse. Verba Pauli haec sunt (1), *Auctores seditionis, et tumultus, vel concitatores populi pro qualitate personae aut in crucem tolluntur, aut bestiis objiciuntur, aut in insulam deportantur.* Pilati iniquitas ulterius processit, nam statim post sententiam illa formula *Lictor despolia, verbera, et infelici arbori suspendito* (2) Christum tradidit crucifigendum contra Senatusconsultum sub Tiberio factum, quo cavebatur, *ne decreta Patrum*, ut Taciti verba usurpem (3), *ante diem decimum ad aerarium deferrentur, idque vitae spatium damnatis prorogaretur.* Scio Pilatum in hac parte a plerisque optimis interpretibus defendi, qui innixi auctoritate Ulpiani, et Modestini contendunt Senatusconsultum, non pertinuisse ad seditiosos, et famosos latrones,



(1) *Lib. V. Sent. Tit. XXII. pr.*
(2) *Liv. Lib. 1. cap. 26.*
(3) *Lib. III. Ann. cap. 51.*

nes, qui ſtatim extra ordinem puniebantur. Non inficior Ulpianum, et Modeſtinum id docere, et tamen Pilati defenſoribus non favent; nam originem juris, quo cum ſeditioſis, et famoſis latronibus coepit ita ſeveriſſime agi, longe, et recenter ab aetate Tiberii repetunt: et Ulpianus quidem ab Oratione Divi Marci; Modeſtinus vero a Conſtitutionibus Imperatorum, ut eorum verba, quae placet deſcribere, luculenter oſtendunt: *Nam*, inquit Ulpianus (1) (*ut eſt oratione Divi Marci expreſſum*), *tametſi provocantis, vel ejus pro quo provocatur, appellatio non fuerit recepta, poena tamen ſuſtinenda eſt quoad Princeps reſcripſerit ad literas Praeſidis, et libellum rei cum literis miſſum: niſi forte latro manifeſtus, vel ſeditio praerupta, factioque cruenta, vel alia juſta cauſſa, quam mox Praeſes literis excuſavit, moram non recipiant; non poenae feſtinatione, ſed praeveniendi periculi cauſſa; tunc enim punire permittitur, deinde ſcribere*. Verba Modeſtini ſunt (2), *Conſtitutiones, quae de recipiendis, nec non appellationibus loquuntur, ut nihil novi fiat, locum*
*non*

(1) *L. 6. §. 9. de injuſt. rupt. teſt.*
(2) *L. 16. de appellat.*

*non habent in eorum persona, quos damnatos statim puniri publice interest, ut sunt insignes latrones, vel seditionum concitatores, vel duces factionum.* Praesentio posse aliquem pro Pilato dicere constitutiones Imperatorum, quarum meminit Modestinus, fuisse constitutiones Augusti, vel saltem ipsius Tiberii, qui sane Imperatores fuerunt, ac proinde Pilatum secundum jus suorum temporum Christo damnato vitam non prorogasse. At qui ita sentit, si scierit aetate Augusti leges per populum de veteri more latas, Tiberium autem, et sequentes Imperatores usque ad Hadrianum, qui primus per se jura dedit, leges tulisse per Senatum, desineret quidem ineptire (1). Jussum Pilati exequentes milites Christum detracta clamyde, et propriis vestibus indutum ac crucem de more (2) ferentem e Praetorio ducunt cru-

(1) *Vide historiam juris suis Institutionibus repetitae praelectionis praefixam a clarissimo viro Praeceptore meo Josepho Cyrillo malo jurisprudentiae fato nuper defuncto.*

(2) Et corpore quidem quisque maleficorum suam effert crucem. *Plutarch. de ser. num. vind. Ex quo infertur falsam esse opinionem existimationum Christum anteriorem, et Cyrenaeum posteriorem crucis partem gestasse.*

crucifigendum extra Hierosolymas (1) ad Calvariae locum, ita dictum, vel quod inibi capita reorum detruncari solebant (2), vel quod capitibus punitorum plenus erat (3): et quum illhuc pervenerint eum servato romano more (4) verberibus caedere debebant; verum contenti flagellatione jam adhibita, utpote ea quae symbolice poterat praeseferre vicem necessariae verberationis a cruciariis omnino sustinendae, Christum omnibus vestibus exutum, nudumque (5) immissae (6) cru-

*stasse. Fateor Lucam Cap. XXIII. v. 26. tradere* Cyrenaeum crucem portasse post Jesum; *sed his verbis non aliud indigitat Evangelista nisi* Cyrenaeum *sequutum fuisse Christum praeeuntem.*

(1) *Extra Urbem Romani supplicia de damnatis sumebant, et quidem in celeberimis viis, ubi plurimi intueri, ac commoveri potuissent.* Mamertini more, atque instituto crucem fixerunt in via Pompeja. Cicer. *Lib. V. in Verr. cap.* 79.

(2) *Gerard. Voss. in Harm. Evangel. Lib. II. cap.* 6.

(3) *Desider. Erasm. in Matth. cap.* 27.

(4) *Lipsius Lib. II. de Cruc. cap.* 4.

(5) Crucifigi bonum pauperi, quia sublimis est crucifixus: noxium vero diviti, quia nudi crucifiguntur. *Artemidor. Lib. II. cap.* 58.

(6) *Crux triplicis generis fuit, altera erat decussata,* in

cruci, et in solo defixae nullis adhibitis scalis (1), sed impositum in staticulo, quod erat in medio stipitis arrectarii (2) suffigunt, adigendo primum in transverso ligno singulis manibus a dextera ad sinistram, et deinde in erecto stipite singulis pedibus co-

*in qua duo ligna directa et aequabilia inter se obliquantur et praeseferebat formam literae* X, *quae, uti loquitur Isidorus Lib. I. Orig. cap.* 3., et in figura crucem, et in numero decem demonstrat. *Altera dicebatur commissa, quae lignum transverum superne ita habebat, ut nihil superesset, repraesentabatque formam literae* T. *Tertia vero erat immissa, quae a commissa in eo distabat, quod rectus stipes e transverso aliquantulum emineret. Huic cruci fuisse Christum suffixum sat probat impositus a militibus supra ejus jam suffixi caput Titulus supplicii, de quo inferius.*

(1) *Lipsium, qui in Not. ad Lib. II. de Cruc. cap.* 8. *scalas erectae cruci adpositas contendit ad suffigendos damnatos, satis refellunt, et omnis aevi Scriptores, qui de supplicio crucis agentes, nusquam scalas meminerint, et Ephesinae mulieris exemplum, quae noctu sine scalis non solum cruciarii corpus de cruce deponit, sed et mariti reponit. Vid. Samas. in Epistol. de cruc.*

(2) Ipse habitus crucis fines, et summitates habet quinque: duos in longitudine, et duos in latitudine, et unum in medio, ubi requiescit qui clavis affigitur. *Iren, Lib. II. adv. haer. cap.* 42. *Vide Pitisc. in Lex. antiquit. tom.* 2. *staticulum.*

eodem ordine fingulos clavos (1). Poft haec milites imponunt cruci fupra Chrifti caput Titulum (2) damnationis, et inflicti fupplicii cauffam continentem hebraice, grece, et latine, ut omnibus innotefceret, a Pilato fcriptum in hunc modum; *Jefus Nazarenus Rex Judaeorum*. Scripfit forte Pilatus Titulum eodem tempore, quo fententiam tulit. Sed hanc folo latino fermone fcripfiffe monet romani Imperii dignitas, quae in fententiis dicendis non aliam linguam patiebatur, ut aperte in haec verba docet Tryphoninus (3), *Decreta a Praetoribus latine interponi debent*. Judaei autem Titulum legentes, quum intellexiffent jam fubire apud alias nationes infamiam eis a Pilato exprobra-

(1) Sed praebe dexteram: Tu autem Vulcane adftringe, et confige, et malleum fortiter demitte. Da et alteram, quo illa etiam recte detineatur. *Lucian. in Dialog. ubi Prometheaus fingitur*.

(2) *Ex more Romano Titulum interdum adponi damnatis locupletiffimus teftis eft Svetonius in Caligul. cap. 31., & in Domitian. cap. 10. Sed & interdum fub praecone cauffam damnationis fuperdicente poenas exigi tradit his verbis Ulpianus in L. 13. §. 6. de jurejur.*, Imperator nofter cum patre refcripfit fuftibus eum caftigandum dimittere, & ita ei fuperdici, PETULANTER NE JURATO.

(3) *L. 48. de re judicat.*

bratam, eum adierunt, ut Titulum mutaret. Sed Pilatus, qui erat, teste Philone Judaeo (1), vir durus, et pervicax, noluit quidquam immutare, quamquam jure posset, nam, ut Hermogeniani verba usurpem (2), Judici *actorum verba emendare, tenore sententiae perseverante, non est prohibitum*. Ulterius milites Christi pannicularia (3) jure suo vindicantes, quum quatuor essent, et non ultra, ejus vestes in quatuor partes sibi dividunt; tunicam vero, quae erat individua, ne dividendo perderent, sortiuntur,



(1) *De Legat. ad Gajum.*

(2) L. 46. *eod.*

(3) *Pannicularia fuisse spolia, quibus erat indutus damnatus quum ad supplicium ducebatur, eaque jure proprio ad speculatores pertinuisse, non autem ad carceris custodes, qui Optiones dicebantur, aperte patet ex Hadriani rescripto in haec verba ab Ulpiano relato in L. 6. de bon. damnat.* Pannicularia sunt ea, quae in custodiam receptus secum attulit, spolia, quibus indutus est quum quis ad supplicium ducitur, ut et ipsa appellatio ostendit: Ita neque speculatores ultro (*Sed Merillius Lib. III. Observ. Cap. I. mavult legi* ultra, *ea ratione quod speculatores praeter pannicularia nihil sibi poterant sumere de bonis damnatorum*) sibi vindicent, neque Optiones ea desiderent, quibus spoliatur, quo momento quis punitus est, *quia ad speculatores pertinent.*

tur, et ut ex auctoritate Virgilii (1) opinatur Merillius (2), jactis nominibus more militari in galeam, non autem in urnam, quod praesto esse non poterat. Porro milites duo ex iis, qui Christum custodiebant, ne quis mortuum ex cruce, quae ei sepulchrum futura erat (3), detraheret; quum clamaret illo verbo *Sitio*, ei bibendum porrigunt acetum, quo erat plenum vas ibi positum, et alter porrigit, teste Joanne (4), spongia hyssopo imposita; alter vero arundini, ut habet Matthaeus (5): Ita enim belle in concordiam discrepantes Evangelistae reducuntur (6). At qui potuerunt esse in Calvariae loco acetum, et spongia, ut praesto, et commode potuisset Christo poculum praeberi? Acetum, quod erat militaris potus

(1) *Lib. V. Aeneid. vers.* 490.
. . . dejectamque aerea sortem
Accepit galea
(2) *In Not. ad Joann. Cap. XIX v.* 24.
(3) Scio crucem mihi futuram sepulchrum. Ibi mei majores sunt siti, pater, avus, proavus, abavus. *Plaut. Milit. glorios. II.* 4. 19.
(4) *Cap. XIX. v.* 29.
(5) *Cap. XXVII. v.* 48.
(6) *Vid. Salmas. in Epistol. de Cruc.*

tus (1), milites cuſtodes, incerti temporis, quo ibi eſſent manſuri, ſecum quidem tulerunt ad bibendum; ſpongiam vero, quo ſe abſtergerent a ſanguine impetu adeo maximo ex venis cruciariorum erumpente, ut veſtes, manus, et facies eorum cruentarentur (2). Huc uſque dicta feſtinanter peraguntur, et pridie quidem Sabbati, quod maximum erat apud Judaeos Feſtum; ſed quoniam ejus diei religio non ſinebat damnatorum adhuc viventium corpora ex cruce pendere, ſatis duxit Judaicus Senatus, qui Chriſtum non dum mortuum credebat, ad ejus fatum properandum, rogare Pilatum ut milites mitteret ad ejus crura confringenda (3), quo poſſet mortuus

F 2 de-

(1) Juſſit vinum in expeditione neminem bibere, ſed aceto univerſos eſſe contentos. *Spartian. in Peſcenn. Nigr.*

(2) Spongia, *verba ſunt Stephani Moyne in Not., et Obſer. ad var. ſacr.*, ut ſanguis abſtergeretur, quum carnifices clavos manibus, et pedibus infigerent, parata erat; nam aliquando ſanguis ex venis ruptis et fixis tanto impetu ejaculabatur, et erumpebat, ut vultus, et veſtes, et manus lictorum ſtatim cruentarentur, et ſpongia ſanguis deleri, et removeri deberet.

(3) *Crurifragium, ſive, ut loquitur Apulejus*

*Lib.*

deponi. Judaeorum petitioni tribuit Pilatus; ſed milites qui ad Chriſtum pervenerunt, uti loquitur Joannes (1), quum eum mortuum invenerint, ſupervacaneum duxerunt mandata exequi, et tantum Centurio lancea, quae proprium erat armorum genus, quod ſpeculatores geſtabant (2), Chriſti latus aperuit, quo, ſi aliquis vitae ſpiritus ſupereſſet, omnino deficeret. Mortuo Chriſto, ejus corpus Joſepho Arimathaeo, qui Decurio erat,

*Lib. IX. de Aſin.*, *crurum fragium non ſuſtinebant cruciarii; erat enim poena a cruce diverſa, et peculiaris ſervorum. Sveton. in Aug. cap.67., et in Tib. cap.* 44. *Sed et in liberos homines fuiſſe irrogatam patet exemplo Marii Gaditani, cujus, ut Seneca teſtatur Lib. III. de Ir. cap.* 18., perfringi crura, erui oculos, amputari manus juſſit *L. Cornelius Sylla. Nec obſtat, quod ſacra hiſtoria tradit milites confregiſſe crura latronum a lateribus Chriſti ex cruce pendentium; nam Judaei ad cuſtodiendam eorum legem, quae Deutor. cap.* 21. *jubebat, ſuſpendioſos eodem die, quo de eis ſupplicium ſumebatur, ſepeliri, ſolebant ad feſtinandam mortem diutius viventium, eorum crura perfringere. Vid. Lipſ. Lib. II. de Cruc. cap.* 14.

(1) *d. Cap. XIX. v.* 32.

(2) Neque convivia inire auſus eſt, niſi ut ſpeculatores cum lanceis circumſtarent. *Sveton. in Claud. Cap. XXV.*

erat, ad sepulturam petenti concessit Pilatus: et ut verum fatear, nescio quam Legem sequutus id fecit. Num quod damnatorum corpora quibuslibet petentibus erant danda ad sepulturam, ut Paulus (1) docet? Id quibusdam videtur. At qui potest in hanc sententiam descendere serio perpendens Christum fuisse, ut reum majestatis, damnatum, ac proinde debuisse, teste Tacito (2), sepultura carere. Num quod Christus fuit extra ordinem summo supplicio adfectus sepultura non prohibebatur? Hoc mihi in mentem venit innixo exemplo Lentuli aliorumque Catilinariae conjurationis sociorum, qui, ut refert Plutarchus (3), in carcere necati justae sepulturae fuerunt traditi; sed quoniam non, ut in Christum, ita in Catilinarios conjuratores dicta sententia fuit, isthaec opinio animo non insedit. Num voluit Pilatus humanitatis rationem habere? Ita quidem mihi videtur; sed et eum in hac re Romanas leges neglexisse constanter adfirmo: nec moror quod a quibusdam dici solet, Pilatum servasse Hebrae-

(1) *L. 3. de cadav. punit.*
(2) *Lib. VI. Ann. cap. 29.*
(3) *Plutarch. in Anton.*

braeorum jus, quo cavebatur, ut suspendiosi eodem die sepelirentur ; nam Procuratorem Caesaris non alias, quam Leges romanas custodire oportebat. Restat expendere in quam Legem commisit Pilatus, qui tam inique se gessit in caussa Christi. Quod non coercuit Senatum Judaicum, ejusque Pontifices populi concitatores, ac proinde reos seditionis (1) : quodque milites ob vim Christo variis modis illatam non subjecit poenae Legis Juliae de Vi publica (2), commisit quidem in Legem Corneliam de Falsis, uti Marcianus his verbis testatur (3), *Sed et si Judex constitutiones Principum neglexerit, punitur*. Quod Christum summo supplicio damnavit aliter quam erat Legibus permissum, incidit in Legem Corneliam de Sicariis, ut tradit Ulpianus (4): *Lege Cornelia de Sicariis tenetur*, inquit Jurisconsultus, *qui quum in Magistratu est, eorum quid fecerit contra hominis necem, quod Legibus permissum non sit*. Sed quod ... Lex

(1) *Paul. Lib. V. sent. Tit. XXII.*
(2) *L.* 10. §. 1. *ad. L. Jul. de vi publ.*
(3) *L.* 1. §. 3. *ad L. Corn. de fals.*
(4) *L.* 4. *pr. ad L. Corn. de sic.*